

tinetur. — Vult etiam quod armentur VIII galee ad istud servicium de quibus vos armatis tres, Hospitalarii tres et rex Cipri duas. Set cum nos continuare dixerimus et dicamus eidem et cardinalibus, quod non possumus de octo galeis promittere nisi duas, quia de octo plures non vult armare Vestra Serenitas et quod de custodiendo Smirnas nullo modo intenditis impediri, idem Dominus Papa dixit quod scriberemus vobis super hiis quia bene habebant contentari partes in isto. — Nos vero videmus quod Ecclesia non vult facere aliter quam sicut dictum est supra, et credimus per ea que videmus quod ambaxatores regis Zipri et Hospitalis contentabunt ista que vult Ecclesia et putamus quod, nisi fiat sic sicut vult Papa et ipsi cardinales, ipsi relinquunt ex toto ista negotia. — Et propterea scripsimus alias et scribimus iterato quod Vestra Serenitas det nobis modum et ordinem procedendi et faciendi illud quod est de vestra intencione, quia per commissionem vestram mandatum sufficiens non habemus. — Speramus autem trahere ab Ecclesia sex et etiam septenmilia florenorum, quos bene putamus esse sufficientes cum aliis denariis que per dominum legatum de indulgiis colligentur quantum pro anno presenti ad custodiendum Smirnas; pro futuris vero temporibus, studebimus apud decimas Cipri et Romanie habere ab ipsa Ecclesia, decimas pathriarcatum predictorum Aquilegiae et Gradi. — Creatus et factus est legatus in partibus Romanie et Capri dominus Raynaldus Episcopus Meninensis cui multum datur auctoritatis ab Ecclesia. Et Ecclesia habet intentionem providendi super armatis galearum de capitaneo generali ad petitionem eiusdem legati. Iste legatus et delfinus Viennensis habuerunt vocem in consistorio ad hanc legationem et iste remansit. Et hac de causa delfinus iratus depositus habitum monachalem et indutus est vestes seculares et mundanas, sicut primo cum erat delfinus, et facit se vocari delfinum veterem viennensem. Quod mirabile venit Pape et cardinalibus. Legatus autem iste in honores vestros videtur bene dispositus, et dicit habere dilectionem singularem ad vestram comunitatem et quod vestro consilio intendebat facere facta sue legationis. — De decimis vera sic scribimus quod eramus in tractatu cum Episcopo Castellano mediante domino t (?), quod ipse haberet sub certis modis quos verbo dicemus cum cernimus apud vos archiepiscopatum Patracensem, et ipse postea fuisse concors nobiscum ad dellendum contractum VII m. florenorum, set ista spes nostra nobis reddit in nichilum, nam Ecclesia intendit dare hunc archiepiscopatum patracensem in provisionem isti domino legato. Unde per alium modum convenit provideri. Set in isto tractatu erant per episcopum castellanum occulte fraudes et insidie parate vobis et nobis. Nam per quemdam amicum et servitorem vestri dominii die mercurii preterito in secreto